

PROGRAMM
des
k. k. Staats-Obergymnasiums
in
BIELITZ
für das Schuljahr 1894/95.

INHALT:

1. Quaestiones Propertianae I. Scripsit Dr. Henricus Fleischmann.
 2. Schulpflichten. Vom Director-Stellvertreter.
-



BIELITZ 1895.

Im Selbstverlage des k. k. Staats-Obergymnasiums.
Druck von Hermann Schneeweiss in Bielitz.



R.R. IRW. SPR 4.

Quaestiones Propertianae I.

Habent sua fata libelli. Quod certe, si in aliquem veterum scriptorum, in Propertium convenit. Cuius elegiarum libri inde ab iis temporibus, quibus humanitatis studia renovata sunt, iam satis variis iniuriis vexati, vel novissimis temporibus nova fata subiere. Ut enim alii scriptores veteres variarum quaestionum materiam viris doctis praebuerunt, sic etiam Propertiana quaedam singularis quaestio exstat inde ab eo anno, quo recensio eius poetae Lachmanniana prodiit. Vir enim ille doctissimus numerum librorum Propertianorum codicibus traditum variis causis commotus augendum esse coniecit, quod liber alter ei dirimendus videbatur, ita ut pro quattuor, qui usque ad illud tempus tradebantur, libris Propertianis, quinque essent agnoscendi. Utque in talibus rebus fieri solet, viri docti, qui ei conjecturae curam atque studium admoverunt, in contrarias partes discesserunt. Tanta enim ex meritis auctoritas Lachmanni acreverat, ut prorsus praetermitti non potuerit, vel si rem magis mirabilem proposuisset. Sed quantumcunque chartae consumptum est in ea quaestione a viro illo doctissimo excitata tractanda et varie inlustranda id tamen adfirmari licet adhuc sub iudice litem esse.

Neque vero, si hanc quaestionem inspexeris, te effugere poterit viros doctos triplici modo adversus Lachmanni conjecturam rem gessisse. Fuerunt enim, qui divisionem illam libri secundi prorsus probarent; alteri vero refellere eum sunt conati; denique ne ii quidem defuerunt, qui nec ordinem codicibus traditum nec a Lachmanno propositum agnoscentes novum quandam excogitarent virisque doctis comprobare conarentur. Attamen mihi quidem omnis controversia ista circa hanc fere quaestionem verti videtur, utrum omnino liber ille secundus dirimendus sit, necne. Et Lachmann quidem certis de causis dirimendum eum esse censuit. Sed qui eum secuti sunt, argumenta ab ipso prolata prorsus probantes neque auxerunt ea, neque firmarunt. Denique vero Birt, vir doctissimus, hanc quaestionem duobus variis locis tractandam suscepit, in libello a primordio alii rei inquirendae destinato (Das antike

Buchwesen etc. pp. 413 — 26) et in Mus. Rhen. vol. XXXVIII. pp. 197 — 221. Qui vir doctus primus, quod sciam, argumenta a Lachmanno ad coniecturam illam firmandam prolata latius produxit. Sed magnam quidem partem — ut, quod sentio, dicam — status, quem vir ille doctus tuetur, cohaerere et explicari posse videtur ex alia coniectura de veterum librorum forma, a viro illo doctissimo ipso reperta. Sed de ea re inferius agemus. Una vero cogitatio usque subiit animum meum, cum Birtii aliorumque perlegerem commentationes — eos potissimum, qui a Lachmanno steterunt, viri illius doctissimi argumentationis annorum decursu fere oblitos esse. Quid enim — ut unum hoc adferam — dices, si Birtii perlegens dissertationem invenies virum illum doctissimum implicitum esse errore, carmina illa libri alterius novem elegiae decimae anteeuntia a Lachmanno pro iusto volume habita esse? Quid equidem de Lachmanni invento iudicem, sequentibus pagellis exponere in animo mihi est; sed id iam extra dubitationem positum est, de re modo citata Lachmannum longe aliter ac Birt arbitratus, non cogitasse solum sed aperte iudicasse. Neque vero hoc unum est, quod in sententiam meam proferri potest. In universum igitur iure dici licet multos viros doctos, et iuniores et maiores natu, cum viri doctissimi coniecturam defendendam suscipierent, Lachmanni ipsius viam ex oculis dimisisse, ne dicam consilio reliquise. Neque defuerunt, qui coniectura illa abuterentur ad ipsorum inventa comprobanda itaque coniecturam superstruerent coniecturae. Quibus rebus factum est, ut quaestio illa non solum non absolveretur, sed in dies fere difficilior fieret magisque conturbaretur. Quaestio vero a Lachmanno excitata certis, ut ita dicam, finibus circumscripta erat ita, ut de ea sicut de lite perspicua iudicari posset. Nunc vero omnia fere perturbata sunt. Itaque non alienum mihi visum est, postquam quaestio ea cum a variis viris doctis vario modo inlustrata tum a Birtio nova quadam ratione tractata est, vestigia iterum ad eum virum revocare, a quo quaestio ipsa originem duxit. Neque vero velim timeas, ne cancri sequar naturam atque exemplum, cui ipse non minus inimicus sum atque horoscopus ille vult, qui Sextum adhortatur:

« octipedis cancri terga sinistra time! »

Sed persaepe in talibus discrepantiis non sine usu et fructu fuit sententias prolatas ponderasse et inter se contulisse. Itaque, ne longus fiam, in animo mihi est argumenta Lachmanniana denuo examinare sed ita quidem, ut simul rationem habeam omnium, quicumque — quod sciam — de ea re sententias tulerunt. Sed in primis praeter Lachmannum cum Birtio mihi res erit. Qui alia atque Lachmannus via progrediens ad eundem finem pervenit Itaque ad eius ratiocinationes suo loco ut respondeam necesse erit. Qua in re ne iudicio aliquo praeoccupatus agam, diligentissime cavebo, neque quicquam spectabo, nisi ut argumentis, quae utrimque

prolata sunt, inlustratis in hac quaestione absolvenda quam proxime accedam ad veritatem, quantum quidem fieri potest in re tam lubrica et aleae plena, in qua consideranda praeterea multi pressi videntur auctoritate maxima Alcidae illius litterarum. Sed mihi quidem, ut poetam ipsum certaminis socium concilium, curae erit; neque enim deesse puto aliquod filum a poetae ipsius indole et arte repetendum, quod recolligentes viam nobis patefaciamus per istius controversiae ambages. Sed his praemissis rationibusque meis exppositis iam ad rem ipsam accedam, et si profecero aliquid ad hanc quaestionem ad liquidum confessumque perducendam laboris atque temporis consumpti numquam me paenitebit.

A.

Tribus igitur potissimum causis nisus Lachmann ex altero, qui habebatur, libro duos fecit, quorum priorem nona elegia concludit ita, ut cuius poetae antea quattuor nunc quinque habeantur libri. Et primum quidem non parvam carminum Propertianorum partem intercidisse ex eo coniecit, quod et commemorantur nonnulli versus Propertiani a veteribus scriptoribus, quos nunc nusquam legamus, et carmina quaedam in libri secundi parte priore, quam totam laceram ad nos pervenisse iudicat, male inter se cohaereant.

Ex scriptoribus autem veterum non solum Fulgentium profert auctorem, qui in libello «de prisco sermone» s. v. *dividia* Propertii nomine hunc versum habet pentametrum, quem exempla nostra non exhibent:

«Dividias mentis conficit omnis amor»

sed etiam Servium, qui ad Verg. ecl. V. 21. hoc fragmentum Propertio adtribuit:

«. . . . testes sunt sidera nobis»

et ad georg I. 19:

«. . . . unciique puer monstrator aratri»

haec adnotat: «alii Triptolenum volunt alii Osirin, quod magis verum est, ut dicit Propertius vel Tibullus»

Quid autem isti, quos adulit Lachmann, loci veterum scriptorum valent? — Quae quidem Fulgentio sit habenda fides, facile intellegi potest inde, quod sub voce „*catillare*“ eidem auctori haec adtribuit verba:

»Catillata geris vadimonia, publicum prostibulum»

cf. Hertzberg, quaestt. Prop. p. 212).

Sed nulla omnino est Fulgentii auctoritas, de quo L. Lersch (Fab. Pl. Fulgentius, de abstrusis sermonibus, Bonnae 1844 in praefatione) hoc tulit iudicium: «Es gilt diesmal einen schnöden Betrüger abzuthun, der die Welt durch ein nicht einmal fein gesponnenes Netz der absichtlichsten Täuschung hingehalten, der unsägliche Verwirrung in der römischen Literaturgeschichte angerichtet hat, auf einmal abzuthun. . . . Fulgentius kann nicht mehr bloß als verdächtig, unzuverlässig bezeichnet werden, er erscheint, indem das System seines Betruges aufgedeckt wird, als ein höchst geistesarmer Fälscher, der nicht einmal Stoff genug in sich vorfand, denselben durchzuführen, sondern in den meisten Fällen die Scheingelehrsamkeit, mit welcher er sein Blendwerk umgab, aus noch fraglicheren Quellen entlehnte». Deinde p. 78: «Wir haben die Frage zu entscheiden, ob eine grenzenlose Nachlässigkeit und Vergesslichkeit in jenen fabelhaften Erklärungen, Büchertiteln, Fragmenten ihr wunderliches Spiel trieb, oder ob ein absichtlicher Betrug jenem Gewebe von Halbwahrem, Falschen, Wahnsinnigen zugrunde liegt».

Fulgentius igitur fidem non habebimus, eiusque auctoritas, ubicunque aliis auctoribus caret, prorsus nulla est.

Servii autem, quos Lachmann adtulit locorum, alter aperte referendus est ad Prop. II. 9.41 (ed. Hertzberg.): «sidera sunt testes...» (neque ita rarae traiectiones verborum apud Servium), alter autem Propertii dicitur, cum sit Tibulli I. 7.29:

«Primus aratra manu sollerti fecit Osiris.»

Neque vero effugit Lachmannum haec testimonia non ita multum valere, quare alium „*locupletem*“ testem circumspexit, quo natus non omnia poetae scripta superesse comprobaret, Ovidium dico, qui (trist. II. 461) de Tibullo ita loquitur:

« Multaque dat talis furti praecepta, docetque,
Qua nuptae possint fallere ab arte viros:
Nec fuit hoc illi fraudi, legiturque Tibullus
Et placet et iam te principe notus erat.»

Tum de Propertio subicit:

« Invenies eadem blandi praecepta Properti,
Districtus minima nec tamen ille nota est! »

Ubinam igitur, Lachmann interrogat eiusmodi versus in Propertii libris leguntur, ad quos Ovidii verba possint referri?

Ad quam quaestionem iam Hertzberg (l. c. p. 212) respondebat poetam lasciva sua carmina excusaturum nil nisi demonstrare voluisse in omnibus vel severissimorum poetarum epicorum et tragicorum operibus multa occurrere, quibus, si qua puella voluerit, alere possit impudicitiam. Neque tamen idcirco quemquam aut

Homerum patrem aut sanctum Menandrum perditorum morum accusaturum esse. Hoc idem in ipsis carminis amatorii auctoribus valere Ovidium docere singulosque deinceps, qui ante suam aetatem hoc genere laudem assecuti sint, enumerare. Et longius quidem in exponendis Tibulli scriptis commoratum iam Propertium paucis absolvere, dicentem in eius poetae scriptis eadem inveniri paecepta. Cum autem paecepta ea amatoria commemoret, non ad iustum artem et paeceptionem eum spectare, sed ad paecepta per omnia eius volumina dispersa, sive ea constant exemplis (cf. II. 16 89:

Quare, si sapis, oblatas ne desere messes
Et stolidum pleno vellere carpe pecus!)

et similia, sive ut in lenae oratione (IV. 5.21 sqq.) formam etiam paeceptorum referunt. —

Quae explicatio cum viris doctis satisfaceret, ne ii quidem, qui cetera Lachmanni argumenta probarunt, testimonio isti Ovidiano — nam quale id sit, postea videbimus — multum auctoritatis attribuerunt.

Sed Birt denuo in versibus illis Ovidianis offendit, ut in ceteris, sic in ea quoque re Lachmannum longe superans. Qui affirmasse satis habuit (ex testimonio illo Ovidii) quaedam Propertii carmina intercidisse. At Birt tantam auctoritatem testimonio illi adtribuit, ut vel vestigia quaereret eorum carminum, quae versibus illis Ovidianis satisfacerent, eaque invenisse feliciter sibi visus est. Loco enim citato (Rh. Mus. XXXVIII. p. 213 sqq.) ostendere conatus est elegiam II. 4. — ipse quam significat, tetrabibl. I. 4*) — paeceptionis cuiusdam amoris speciem pae se ferre, eamque totam elegiam ipsam unam reliquam esse ex tota aliqua serie carminum, in quibus paecepta illa, de quibus Ovidius loquatur, lecta sint. Sed argumenta, quibus suam de elegia illa sententiam comprobare studet — si eius verbis uti mihi licet — haec sunt: «Drei Momente sind es, durch die dies Gedicht von seiner Umgebung wie durch eine weite Kluft geschieden ist. Erstlich hat es nicht die Liebe zu Cynthia zum Gegenstande; sie hat ihn vernichtet; er ist am Ende; und er stellt sich seiner sonst einzigen Liebe in dem Grade theoretisch objectiv gegenüber, dass er einen «alter amor» als möglich ansetzt. Dies scheint unvereinbar mit Nr. III. und IV., wo er die Cynthia eben erst zum neuen Gegenstand seiner Liebe und Poesie macht. Daraus erklärt sich aber, dass er, von ihr abbrechend, nun vielmehr andere in der Liebe zu unterrichten unternimmt, und das ist das zweite Singuläre. Statt des Eigentones der Liebe, erhalten wir hier und nur hier Lehrton; Psychologie, nicht Psyche; doctrina amatoria mit einem Recept am Schluss.

*) Debemus enim viro illi docto novam quandam elegiarum sive potius librorum numerandorum rationem, de qua inferius agemus.

Drittens aber besteht das Recept in der Empfehlung der Knabenliebe; diese wird als etwas Selbstverständliches, als ein vom Dichter selbst approbiertes, also auch erprobtes Auskunftsmittel vorgetragen. Aber dem ganzen übrigen Properz ist sie sonst fremd und tritt bei ihm mit der Liebe zur Cynthia niemals in Concurrenz. Auch ein schwerhöriges Ohr, meine Ich, muss die dreifache Dissonanz empfinden, welche hier in die Harmonie der umgebenden Lieder hineinklingt. . . . » Denique p. 217:

« . . . Der Verlust der Cynthia ist es, mit dem Properz hier sein Theoretisieren über die Liebe und seine schließliche Anpreisung der Päderastie motiviert. Es scheint hier ein Stadium im Cynthiadienst vorausgesetzt, das uns die umstehenden Gedichte nicht hinlänglich aufklären, ja, das den zwei voraufgehenden geradezu widerstreitet. Und es ist uns somit willkommen, annehmen zu dürfen, dass wir in Tetrabibl. I 4 den Rest einer größeren Gruppe eigenartiger Erotik erhalten haben ».

Sed equidem vereor, ne iusto plus Birt in ea elegia legerit. Neque ei concedam Propertium in eo carmine ut, qui ad finem iam pervenerit, loqui. Cynthia dimissa quomodo Propertius locutus sit, in eis, quas in fine libri tertii legimus, elegiis cernitur. In quibus vero longe alius affectus appetet. In ea, de qua agitur elegia, maxime amoris cruciatibns vexatur et ea ipsa res eum, quae ipse perpessus sit, ut aliis quasi exemplum et documentum, ne dicam, ad eos ab amore deterrendos enarret, permovet. Neque in ea tantum elegia de amoris natura aequales edocet; quod facile vel primo elegiarum libro — in quo certe Propertius amore Cynthiae incensus appetet — perfecto cognosces. Quod sane nihil mirabimur. Nam saepius poeta magnae suae in amoribus doctrinæ multum adtribuit. Quid quod in el. I. 95 sqq de se praedicat:

« Non me Chaoniae vincant in amore columbae
Dicere, quos iuvenes quaque puella domet
Me dolor et lacrimae merito fecere peritum:
Atque utinam posito dicar amore rudit!

An diversa sunt ea, quae minatur I. 5. v. 9 sqq?

« Quod si forte tuis non est contraria votis
At tibi eurarum milia quanta dabit!
Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos:
Illa feros animis alligat una viros.
Ah, mea contemptus quotiens ad limina curses,
Cum tibi singultu fortia verba cadent,
Et tremulus maestis orietur fletibus horror,
Et timor informem ducet in ore notam,
Et quaecumque voles fugient tibi verba querenti,
Nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser:

Tum grave servitium nostrae cogere puellae
 Discere, et exclusum quid sit abire domum:
 Nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,
 Aut cur sim toto corpore nullus ego
 Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
 Nescit Amor priscis cedere imaginibus etc. etc. »

Quae quamquam de certa quadam puella, simul tamen in universum dicta sunt. An quae I. 10 leguntur, non doctrinae speciem illa p[ro]ae se ferunt?

« Possum ego diversos iterum coniungere amantes
 Et dominae tardas possum aperire fores;
 Et possum alterius curas sanare recentes
 Nec levis in verbis est medicina meis;
 Cynthia me docuit semper quaecumque petenda
 Quaeque cavenda forent: non nihil egit Amor:
 v. 21. Tu cave ne tristi cupias pugnare puellae,
 Neve superba loqui, neve tacere diu:
 Neu, si quid petiit, ingrata fronte negaris
 Neu tibi pro vero verba benigna cadant.
 Irritata venit, quando contemnitur illa,
 Nec meminit iustas ponere laesa minas.
 At quo sis humilis magis et subiectus amoris
 Hoc magis effecto saepe fruare bono. »

Quae nisi institutionem et praceptionem redolent, qualia illa praecepta amoris esse debeant nescire me confiteor.
 Vel ea consideres velim, quae leguntur I. 12. 15 sqq.

« Felix, qui potuit praesenti flere puellae:
 Non nihil aspersis gaudet Amor lacrimis;
 Aut si despectus potuit mutare calores:
 Sunt quoque *translato gaudia servitio* »

Nonne haec sunt praecpta, quibus quis amorem puellae amatae nanciscatur simulque amoris cruciatu[m] effugiat, a puella despectus? Sed nonnumquam mala sua calamitatemu[m] enarrat, sed ita, ut aliis exemplum edat eosque doceat; qualis est el. I. 15., ubi perfidia periurae Cynthiae vehementer vituperata elegiam ita concludit:

« Quis ego nunc pereo, similes moniturus amantes
 O nullis tutum credere blanditiis. »

Et quid de el. illa I. 20 (ad Gallum) iudicabimus, quam amicum, ut puerum amatum bene custodiat, hortaturus ad eum modum orditur:

« Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo : » —

Quae exempla iam sufficient, quibus comprobetur Propertium non in ea elegia tantum, sed — quod in lyrico poeta non mirabimur — saepius carminibus suis doctrinas amatorias admiscere. —

Sed offendit praeterea Birt in versibus illis :

His saltem ut teneat iam finibus! ei mihi, si quis,
Acrius ut moriar, venerit alter amor!

Ex verbis enim «ei mihi — venerit alter amor» Propertium adeo iam liberum esse Cynthiae amore concludit, ut fieri posse concedat, ut altero amore i. e. amore alius puellae exardescat. Sed in hac quoque re Birt poetae animum non comprehendisso mihi videtur. Quid, si poeta loco illo iam supra citato I 9. 8. optat:

« Atque utinam posito dicar amore rudis; »

num ea de causa suspicari licebit Sextum iam Cynthiae satietatem tenere vel poetam puellae iam valedixisse? Sed si versus illos recte interpretamur, prorsus contrarium aliquod ac Birt voluit, efficitur. « His saltem ut teneat iam finibus » poeta precatur, i. e. utinam cruciatus illi, quibus nunc Cynthiae amore incensus vexor, solimanent ultimique sint! « ei mihi, si quis, acrius ut moriar, venerit alter amor »! exclamat; quibus certe non exprimitur poetam ad alterius amoris varia fata subeunda paratum esse; immo ad desperationem iam adductus, persuasum habet, si denudo Amoris sagitta vulneretur, futurum esse, ut nullam voluptatem ex amore illo percipiat, sed acrius, id est duplicitibus doloribus confectus moriatur; nam eum, quo incensus sit, amorem, quo enecetur, iam sufficere. — Quare, si me audis, elegia ista eodem, quo quae circa sunt, elegiae animo scripta est. Verum adspicias, quaeso, el. 5.! Num illa feliciter amantem ostendit poetam? Sed omnino vix unam alteram invenies elegiam, qua Sextus prorsus felix contentusque appareat; semper aliquid haeret; saepissime voluptates amatoriae, quibus fruitur, amaritie quadam imminuuntur, et vel tum, cum summo fortunae beneficio in amore se uti narrat, tamen tristitia quaedam perlucet aut ex verbis erumpit.

Verum etiam illud, quod de *παιδεραστίᾳ*, illa Birt protulit, non multum ponderis habere mihi crede; neque dubito, quin summam poetae intulerit iniuriam ille, cum scripsit (l. c. p. 215): « Diese (*παιδεραστίᾳ*) wird als etwas Selbstverständliches, als ein vom Dichter selbst approbiertes, also auch erprobtes Auskunftsmittel vorgetragen. Quae omnia aliena sunt a Propertii moribus, quales in carminibus apparent. Si verum esset, quod Birt suspicatus est, commendatio illa venerei in puerum amoris lascivia quadam proferretur; cuius

vestigia equidem prorsus desidero. Mihi quidem hac re Sextus nihil nisi animum suum amoris cruciatibus vexatum levare studet. Propertius enim, quo est ingenio violento, et gaudio et dolori praesenti nimis facile cedit, neque hilaritati subitae neque animi tristitiae habemas sive frenos inicere consuevit; itaque saepius eo morositas procedit, ut rationem eorum, quae verbi tantum exprimit, ab eo repetere nobis non liceat. Attamen multum interest, utrum bono consilio et animo considerato aliquid proponatur vel doceatur, an ira aut amore aut simili animi affectione cogente. Quod in hunc locum certe incidit. Nam ut alio loco puellae saevitia et duritia confectus mortem sibi concupiscit, sic hoc loco — nam haud multum felicitatis proximae elegiae ostendunt — iracundiae et acerbitatis plenus exclamat:

«Hostis si quis erit nobis, amet ille puellas:
Gaudeat in puerō, si quis amicus erit!»

Neque vero ideo conicere licet Propertium παιδεραστικῶν commendasse vel scriptis suis propagasse et minus etiam, eum ipsum libidini illi induluisse. Quare nullam meo quidem iudicio suspicioneum elegia illa a Birtio tentata movet.

Sed haec praeterea contra Birtium proferre mihi licebit. Vir enim ille doctissimus coniecit hanc, de qua uberior egimus, elegiam, unam ad nostram aetatem pervenisse ex maiore quadam carminum serie ab excerptore quodam propter argumenti impuritatem suppressa. Interrogare igitur nobis licebit, quomodo factum sit, ut ea potissimum elegia, quam eiusdem argumenti esse Birt adfirmat, excerptoris illius severitatem effugeret? Totam deinde carminum illorum impurorum seriem intercidisse coniecit a poeta ipso in unum locum digestam. Quod Propertii consuetudini repugnat, qui affectionum varietatem et argumentorum vicissitudines adamat quam maxime; num igitur nihilominus conicere licebit in unum locum eum contulisse omnia illa impura carmina et obsena? Denique nullum vestigium ostendere contigit Birtio praceptorum illorum furtivi amoris, de quibus Ovidius loquitur, quaeque poeta ille — ut Birt Lachmanno quidem praeeunte adfirmavit — Propertium propagasse dicit. Eaque ipsa res nos, ut denuo locum illum Ovidianum consideremus, commonet. Nam ex ea ipsa ratione, qua Birt de ea re disputationem absolvit, nisi me fallit opinio, appetat non de certa animi persuasione virum illum doctissimum sic iudicasse (l. c. p. 219): «.... wir dürfen vermuten, dass sie (sc. elegia illa) ursprünglich von einer Reihe ähnlicher umgeben stand, in denen Properz noch deutlicher praceptor amoris war und auch wirklich vom «furtum» handelte und «fallere viros»: Mit diesem konnte denn auch noch manches andere in Wegfall kommen. Vielleicht war das Thema der Knabenliebe öfters in Anwendung gekommen und diese Sachen (!) sind ihres Inhaltes willen unter-

drückt». — En vide! «dürfte», «könnte», «vielleicht» similia; nihil certi, merae coniecturae, quibus ne verisimilitatis quidem speciem inesse ostendere conatus sum. Quale igitur est argumentum illud ex Ovidio depromptum?

Ovidius poeta ab imperatore irato in exilium missus, postquam miseriam suam conquestus est, imperatoris iram leniturus, modeste et obscure quodam modo significare audet, iniuste se poenas maximas pendere delictorum, i. e. carminum suorum lascivorum; nam in omnium poetarum et tragicorum et comicorum et elegiacorum scriptis talia legi, qualia sibi oneri sint data; et in ordine eorum, quos illius rei illustrandae causa adfert, ultimum — nam statim pergit: «his ego successi» — appellat Propertium et hoc quidem modo trist II. 465 — 66):

«Invenies eadem blandi praecepta Properti:
Districtus minima nec tamen ille nota est.»

Sed iam ex omni citandi ratione satis apparere crediderim Ovidium non effugisse haud ita multam materiam sui defendendi carminibus praebere Propertium; aperte enim Propertius h. l. obiter tantum tangitur, ut saepius, ab Ovidio, ne quis ex ordine illo poetarum elegiacorum desit; id quod a Birtio conceditur potius quam refringitur l. c. p. 218: «Ovid berücksichtigt freilich Tibulls Didaxis weit eingehender als die des Properz. Allein dies kann nicht im mindesten befremden. Tibull, Ovids Freund, wird von ihm überhaupt bevorzugt; zu Properz stand er nur auf dem Respectsfuße als Berufsgenosse (iure sodalicio iunctus); er will ihn hier nur nicht übergangen haben. Verum an Tibullus pro honore isto sibi adtributo grandem habuerit gratiam Ovidio, equidem dubitaverim. Sed id iam mihi constat Propertium h. l. non ob eam unam causam a Birtio prolatam — «quod iure tantum sodalicio ei iunctus esset» — obiter tantum ab Ovidio tangi. In versibus illis sive potius in versu illo Ovidiano, qui est de Propertio»:

«Invenies eadem blandi praecpta Properti»
verba «*invenies*» «*blandi*» «*eadem*» quam maxime premenda censuerim. «Invenies» Ovidius dicit, i. e. si cum diligentia requisiveris. Inde igitur colligi potest Ovidium ipsum indicare voluisse non ita multa id genus apud Propertium legi et legentibus occurtere. Idemque magis etiam exprimitur altera illa voce «*blandi*» Quid enim vox illa significat? «*blandus*» adhibitum a personis est «schönthuend» «schönredend» «Blandus igitur Propertius» idem significat atque Propertius, qui in carminibus suis puriores ostendit mores. Num vero epitheton illud adtribuetur poetae, in cuius carminibus intermixta est tota quaedam series elegiarum obscenarum? minime! Itaque Ovidius — si recte locum illum comprehendi et singula verba recte interpretatus sum — dicere voluit: Vel in Propertio, apud quem talia haud exspectes — purum enim in

universum amorem eius carmina redolent — *quaedam* praeepta impura invenies. Inde vero apertissime efficitur omnes illos quam maximo errore implicitos esse, quicumque credunt — Ovidiano illo loco quidem nisi — Ovidium ipsum impurum aliquod poesis genus Propertii cognovisse et legisse, quod nos nunc in eius poetae scriptis non legamus.

Sed iam meum est exponere, quae tandem illa sint praeepta, de quibus Ovidius loquitur. Legunturne igitur omnino praeepta impura et impudica apud Propertium, quem quidem nos nunc in manibus tenemus? Sane! Et «ubi?» si interrogaveris, in el. IV. 5. equidem respondebo. In ea igitur elegia profecto praeepta insunt, quae non sine taedio quodam legimus. Et docet ibi lena quaedam puellam datque ei praeepta, quibus si utatur, maiorem capiat fructum ex corpore prostituto. Sed — mirum sane — praeepta prorsus similia in elegia quadam Ovidiana lena dat puellae cuidam, in el. am. I. 8. Immo vero non defuerunt, qui elegiam illam Prop. IV. 5 Propertio abiudicandam censerent et ob argumentum impurum et ob maximam similitudinem, quae apertissime intercederet inter utramque elegiam, Propertianam dico et Ovidianam, neque argumenti tantum sed verborum fere. At defenderunt tamen praeter alios elegiam illam Voigt, Kirchner demonstrata illa veterum poetarum licentia multo ac nostra aetate maiore, qua usi alter alterius sententias in suum usum convertere non dubitabant. Sed nisi me deseruit verum iudicium, Ovidius ipse loco illo ex libro Tristium citato elegiam istam vere Propertianam esse testatur. Nam ad eam digitum intendisse mihi videtur, cum diceret vel scriberet etiam apud Propertium blandum talia praeepta inveniri. Et re vera insunt in elegia ista *praeepta*, quae verbis Ovidianis satisfaciant. Itaque eam elegiam respiciens scribere potuit: Invenies *cadem* praeepta, quae mihi tanto damno fuerunt vel apud blandum Propertium neque tamen ille ullas solvit poenas. Iis vero, qui censem, ea praeepta Propertio opprobrio non esse posse — inter quos est Birt*) — quod ipse ea praeepta non probet lenamque illam detestetur, facile respondebo. Nihil enim refert, utrum poeta ipse illa doceat, an lenam docentem faciat, quia talia carmina, quae praeepta id genus continebant, in publicum edita et propagata, apta erant ad puellarum mores corrumpendos, non minus atque picturae obscenae, de quibus Propertius ipse alio loco queritur.

Sed haec quidem hactenus; nam id iam contra Lachmannum, Birtium, alios demonstrasse mihi videor neque ex aliis scriptorum testimoniorum neque ex loco illo Ovidiano quicquam effici ad sententiam illorum comprobandam, qui sumpserunt, aliquam Propertia-

*) l. c. p. 218: «Allein die argen Lehren, die hier die lena dem Mädchen vorträgt, gibt Properz ja keineswegs, sondern verwirft und verflucht sie.»

norum partem intercidisse neque (et Lachmann quidem putavit infortunio quodam, contra Birt, severitate purioris eiusdem excructoris suppressa) ad nostram aetatem pervenisse; immo vero persuasum equidem habeo omnia carmina Propertiana in manibus nostris esse neque veteres — quantum quidem ex variis testimoniis iure concludi potest — plura ac nos eius poetae scripta cognovisse.

Itaque his missis alia quaeramus et quaestione, num quaedam poetae, de quo agimus, carmina annorum decursu intercidenterint, absoluta iam videamus, quid de iis carminibus, quae nos hodie legimus, sit statuendum. Ad alteram enim primi argumenti Lachmanniani partem nunc pervenimus. Complura igitur in priore parte secundi libri carmina male inter se cohaerere adfirmat.*)

Lachmann igitur, ut comprobaret intra secundum librum carmina Propertiana labem traxisse ostendere conatus est in ea libri illius parte, qua illum librum dirimendum censuit i.e. ante carmen II. 10. partimque post illam elegiam, carmina occurrere, quorum partes singulae male inter se cohaereant, quare lacunas quam plurimas esse statuendas. Attamen non ita multi viri docti in ea potissimum re a Lachmanno steterunt. Multi enim extiterunt illorum carminum, quae virum illum doctissimum offendebant, vindices, quorum aliis aliam elegiam defendendam suscepit. Immo etiam Birt, qui Lachmanni conjecturam nova quadam argumentandi ratione comprobare conatus est, illorum carminum — quamquam non omnium — patrocinium suscepit. **)

Sed euidem non unam alteramve sed omnes illas elegias deinceps — et offendit quidem Lachmann in elegiis II. 6—13 — illustrare conabor, quia plurimum mea interest, ut tandem appareat, qualia illa sint vestigia ruinae et disturbanceis illius, quam in libri secundi parte priore statuere voluerunt.

Et primum igitur in carmine **II. 6.** Lachmann sententiarum nexum recte procedere negat. Quare videamus, quid de eo carmine sit statuendum. Usque ad v. 24. omnia facile intelleguntur neque quisquam ullam invenit difficultatem. Post versum 24. Lachmann lacunae signum posuit; sine iusta causa, ut mihi quidem videtur. Hic enim sanus sententiarum nexus est: Postquam vv. 23, 24 poeta Alcestin et Penelopen et quaecumque feminae marito fidem servaverunt, summis laudibus dignas dixit, et hoc ipso tempora

* cf. praef. p. XVI «... mirabile esse non potest aliquot lacunas in illis carminibus interrupto sententiarum filo passim se prodere. At cum nos in notis nostris nihil unquam nisi in libri secundi priore parte, quae tota lacera ad nos pervenit, periisse docuerimus, nihil superstet, nisi ut quaeramus, si forte indicio aliquo intelligi possit, quantam Propertii partem illae, quae in libro secundo sunt lacunae, haurire potuerint.»

**) Nam postquam l. c. (Rh. Mus. 38 p. 202) elegiam nonam, quae difficillima plurimis visa est, defendit, in pag. 205 legimus: „Auch von den übrigen fünf Nummern halte ich die Mehrzahl für mehr oder minder intact.“ Aliam vero sententiam de el. II. 8. fert; quare contra eum quoque ea elegia nobis erit defendenda.

illa, quibus uxores illae pudicae vixissent, praedicavit, interrogat poeta quem ad finem tum sint tempula statuenda, si pudicitia omnino non colatur «et cuivis nuptae cuilibet esse liceat». Sed dum reputat secum, quomodo factum sit, ut talis morum corruptio Romanam invaserit, iis culpam attribuit, qui primi o b s c e n a s t a b e l l a s pinxerunt; eos igitur sub terra sepultos detestatur (— v. 32); antea eius modi picturas, quae morum perdendorum sunt causa, non noverant». Et haec quidem hactenus. Post versum 35 autem novas difficultates viri docti reppererunt; Lachmann vero ad versum illum adnotat: «*sed non immerito*: hoc distichon praesertim hoc loco positum intellegi nullo modo potest. Post inepta aliorum commenta Burmannus poetam hic post commemoratam impudentiae praecipuam causam e diverticulo quasi, ut ait, ad Pudicitiae fanum redire sentiens legendum censuit: «*sed nunc emeritum*». Hac correctione probata vir doctus, dispersa membra recolligens optima profecto coniectura hoc distichon post v. 26 inserendum putat. Huius sententiam ego quoque secutus essem, parva adhibita verbis corruptis mutatione hoc modo:

Templa pudicitiae quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptae cuiilibet esse licet;
Si non e merito (?) velavit aranea fanum
Et mala desertos occupat herba deos?»

nisi tamen his admissis ante hos versus «templa Pudicitiae»... et post eos in hoc «Quae manus. . . .» maxime autem in ultimis distichis hiaret sententia, idque fidem faceret, ab hoc carmine initium cepisse illam cladem, qua multa carmina libri secundi, multosque eorum, quae restant, versiculos periisse posthac omnibus manifestum erit, cum nos singula loca, in quibus certa erant lacunarum indicia, asteriscis interpositis notaverimus. Quare nihil magnum hic audendum esse existimavi, quamquam nonnulla de suo loco migrasse in his fragmentis negare nolim».

Lachmann igitur — id iam vides — quam statuit difficultatem, tolli posse non negat, sed tollere non vult, ne perturbationis libri secundi vestigia deleat. Quod hoc loco iam monuerim; quamquam haec protuli, non quo transpositionem illam vv. 35. 36, quam Lachmann Burmanno praeiente «parva adhibita mutatione» accipiendam commendavit, ipse probarem. Praeter alias etiam Henr. Keil*) usque ad v. 35. omnia plana esse atque facile intellegi concedit; in v. autem 35: «*sed non immerito velavit aranea fanum*» hiare sententiam affirmat. Quamquam et ille remedio adhibito difficultatem, quam versus ille preebeat, ita tolli posse non negat, ut cum Hertzbergio pro «*sed non*» scribatur «*sed nunc*». Ea autem Hertzbergii coniectura ille nos uti vetat, hac quam ipse

*) observatt. crit. diss. Bonn. 1843.

statuit lege nisus: «At enim nullus in his «sed» particulae locus, qua non utimur ad alteram sententiam alteri opponendam, sed ut corrigamus quodam modo id, quod diximus». Cum alios tum Propertium coniunctione «at» non coniunctione «sed» uti adfirmat, ubicumque praesens rerum condicio eis, quae ante fuerint, opponatur; quam sententiam ut comprobaret, multos contulit locos Propertianos. Sed ad has dubitationes recte mihi respondisse videtur ipse Hertzberg (qu. Prop. III. p. 107. ad carm. II. 6. 35.): «Cui equidem non prius aut obloquar aut concedam, donec quid velit, accuratius ostenderit. Nam priore edicti sui parte cum omnem vim adversativam eius particulae, cuius ea vis cum maxime est propria, de medio sustulisse videatur, aliud dixisse eum aliud dicere voluisse apparet. Altera vero parte istud «quodam modo» posticam quasi quandam aperit, quae grammaticam regulam minime deceat. Neque exemplis a Keilio congestis multum res iuvatur. Nam cum prius nota in vulgus proferat, deinde dum ad vivum resecare omnia studet, eadem qua supra in singulis exemplis interpretandis licentia grassatur, eademque obscuritate oratio laborat. Nam pugnare inter se utrumque decreti illius membrum, manifestum est».

Non defuerunt, qui alia ratione huic loco succurrerent. Et Brandt*) quidem mira quadam distinctione posita sic versum legi vult:

«Sed non immerito: velavit aranea fanum
Et mala desertos occupat herba deos;»

quod non facile quisquam concedet. Quamquam enim inveniuntur loci, ubi vox: «sed merito» absolute ponatur (similiter nos dicere consuevimus «es geschieht mir schon recht!»)
[cf. Ov. am. III. 12. 8—9:

«Sic erit: ingenio prostitit illa meo
Et merito! quid enim formae paeonia feci?»

vel ibid. Metam. IX. 585:

«Mens tamen ut rediit, pariter rediere furores:
Linguaque vix tales icto dedit aere voces:
Et merito! quid enim etc. etc.]

multo tamen aliis eius vocis est usus apud Propertium, quod primo quisque obtutu facile intelleget; e. g. Prop. II. 12. 9.


«Et merito hamatis manus est armata sagittis»

vel I. 17. 1., quo loco Brandt haud suo iure utitur:

*) quaest. Prop. diss. 1882. p. 22.

«Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
nunc ego desertas alloquor alcyonas»;

adde quod vocis «non merito» usus non idem est, ac «non immerito». Sed nemo post verba «sed non immerito» — id quod Brandt vult — verbum «deflemus» (scil. tam corruptos mores) vel tale quid animo adiunget. Durissimam igitur huius versus interpretationem, quam Brandt proposuit, accipere nequibimus. Sed, ut his missis de carmine II. 6. disputationem ad finem perducamus, mihi quidem Hertzbergii conjectura recipienda eaque recepta omnis difficultas prorsus sublata videtur. Illud «nunc» vero, quod Hertzberg nulla paene mutatione pro «non» proponit, ab antecedente «olim» in v. 33. postulari videtur, ita ut versibus 33. 34. opponantur vv. 35. 36. hoc quidem sensu: «olim parietes obscenis figuris non erant picti; nunc autem picti sunt, itaque (per metonymiam effectu positio pro re efficiente) aranea velavit fanum i. e. moribus corruptis dii (immerito) negleguntur. Hoc duorum temporum antitheton, ut statuam, apta etiam membrorum compositione, quam nanciscimur, adducor; ut enim vv. 23. 24. (felix Admeti — amat) laudem temporis acti, contra ea vv. 25. 26. (templa Pudicitiae — licet) vituperationem continent, sic eadem ratio valet inter vv. 33. 34. et 35. 36. Habemus igitur inde a versu 23—36 alteram carminis partem, quae septem continetur distichis, quae hoc modo distribuere nobis placet:



dist. 1. laudatio; dist. 2. questio; dist. 3. 4. incusatio; dist. 5. detestatio; dein dist. 6. iterum laudatio; dist. 7. iterum questio. De priore carminis parte itemque de fine cum inter viros doctos satis constet, nil dicendum existimavi. Itaque iam omnia in hoc carmine intelleguntur, neque quicquam excidisse concedendum neque transpositione ulla — qualem e. g. Birt*) l. c. p. 206 proposuit — utendum.

Minus etiam in carmine II. 7. quicquam desidero neque ullam difficultatem, quae sententiarum nexum turbaret, invenire potui; itaque mirum videtur, quomodo Lachmann in tam simplici carmine tot conscripsit de variis virorum doctorum conjecturis (p. 127 et 128).

*) Sententiarum enim processum in codicibus traditum multo magis accommodatum esse ad logicas leges primo quisque obtutu intelleget, neque cuiquam Birt persuadecbit versum illum:

«Sed — non immerito — velavit aranea fanum»
verti posse: «Aber freilich, der Tempel ist ja auch eingegangen».

Nulla lacuna meo quidem arbitrio statuenda neque ulla conjectura adhibenda; sed, ne multa obloquar, carmen potius interpretabor:

Gavisa est Cynthia — poeta dicit — quod lex illa est sublata, quae nos amantes et libero amore viventes timore affecit, ne di- duceremur; quamquam nemo duos amantes potest dividere; at fortasse magnus Caesar! sed magnus Caesar in armis; talem autem virum, cur amantes timeant, nulla est causa (v. 1—6); nam potius morerer, quam te, Cynthia, relinquem; quales enim maiores et mihi et tibi discidium ferret! (v. 7—12). — Quam apte vero poeta, magno dolori, quo discidium illud et ipsum et Cynthiam affecturum fuisset, parvum commodum opposuit, quod rei publicae haec res tulisset! Id enim sequitur. Nam lex illa ab Augusto erat lata, ut iuvenes Romani iusto matrimonio geniti semper praesto essent, qui in periculis patriam defenderent, triumphosque patrios (i. e. patriae) augerent. Qua re lectribus Romanis notissima iure omissa optime poeta pergit: «Unde mihi patriis gnatos praebere triumphis? nullus de nostro sanguine miles erit!» i. e. ut nostra utar lingua: «Woher sollte ich die Eignung haben....»; egone, homo totus amori deditus, qui in Amoris tantum castris milito, filios gignam, qui militum nostrorum numerum variis bellis diminutum augeant! ridiculum! filii mei, si quos procrearem, patris similes, leves nequitiaeque dediti, non milites strenui essent. Nihil igitur patriam iuvaret, si puella carissima derelicta iusto viverem matrimonio. Facilius etiam hic locus intellegitur simili loco (I. 6·25. sqq.) collato. Ibi enim Sextus ita alloquitur Tullum amicum:

«Me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
Hanc animam extremae reddere nequitiae.
Multi longinquo periere in amore libenter
In quorum numero me quoque terra tegat!
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis
Hanc me militiam fata subire volunt.»

Quibus amico in provinciam abituro, cur eum non sequatur vel comitetur, explicat. Sed ostendunt quoque illi versus quanto opere isto loco poeta suo iure profiteatur:

«Unde mihi patriis gnatos praebere triumphis?»

neque est, cur arrogantium quandam vel nimiam modestiam (cf. Lachm. comm. p. 128) his versibus supponamus. — Itaque optime hi versus et cum antecedentibus et inter se cohaerent: «Nihil igitur mihi est cum militibus verisque castris, poeta pergit; at in AMORIS CASTRIS Castor sum iisque gloriam meam debeo. Itaque in fine carminis (v. 19. 20.) ad puellam poeta redit eique, ut saepius, amorem profitetur suum verbis illis apud elegos Romanos usu re-

ceptis: «tu mihi sola places!» sibique, si ipse a Cynthia ametur, id pluris fore dicit, quam — id quod lex illa poposcerat — uxore legitime ducta, liberos procreasse.

Sed nunc de carmine II. 8. agemus. Variae variorum virorum doctorum de hoc carmine sententiae; quibus singulis singula respondeam necesse erit. Atque primam carminis particulam inde a primo usque ad versum 12 pertinentem ipse Lachmann optime interpretatus est: «Reprehendis me, inquit, quod Cynthia ab alio mihi erectam doleo. At nihil quam in amore turbari, acerbius. At dicis, nulla quidem stabilis fortuna est; iure igitur amores quoque vertuntur. Accipio: sed meus non vertitur: nam illa me numquam amavit». Sed quae sequuntur, intellegere se negat Lachmann. Mirum profecto! nam, si recto utor iudicio, ex antecedentibus vv. 11—12 poeta rationem concludit, id quod coniunctio «ergo» bene indicat: «Cynthia — inquit — meis muneribus carminibusque neglectis numquam me amavit; ergo frustra, sine ullo eventu multos annos multum laborem multamque operam perdidi et temerarius (i. e. consilii expers) eram, quia finem debebam respicere, qui futurus esset amoris atque amicitiae Cynthiae, puellae tam inconstantis. Quod verbum substantivum «eram» deest, nullam habet difficultatem; nam et Brandt*) et Hertzberg**, multa exempla adferunt, quibus Propertium maiore etiam licentia in ea quidem re usum esse demonstrant.

Multo magis etiam hoc carmen vexavit H. Keil***) Neque vero is quidem in priore carminis parte quicquam vituperavit. «Sed vv. 12—15», pergit, «(illa — visus), quo modo inter se, sive sententiam specto sive verborum comprehensionem, cohaereant, non video. Positi erant haud dubie inter v. 14. et 15. aliquot versus, quibus multa inconsiderate a se tentata esse ad amorem Cynthiae conciliandum narraverat Propertius. In quibus cum caeca amatoris cupiditas conspiceretur, facilis transitus erat ad v. 15. et 16». Deinde haec: «Quod deinde a v. 25. persecutur se non solum obitum, id cum intellegi nequeat, ut Cynthia secum moritum dicat, utpote quam v. 20 se mortuum irriguram esse dixerat, sed cum ad rivalem pertineant, sequitur verba «sed non effugies» ad hunc ipsum rivalem dicta esse. Quod ne levissima quidem addita hominis significatione, nisi ante hunc versum exciderant nonnulla, in quibus mentio eius facta esset, fieri non poterat».

Sed neutrum bene mihi ille videtur observasse. Quod enim versus aliquot intercidisse suspicatur inter v. 14. et 15. egregie fallitur. Nam ea, quam attulit, causa nihil valet; nonne enim iam versibus 11. et 12. audivimus, quae Propertius, ut amorem levis illius puellae consequeretur, tentarat? «Munera quanta dedi vel

*) l. c. p. 23.

**) l. c. l. l. 2 § 12. p. 125.

***) l. c. p. 43.

qualia carmina feci!» Sed quo modo versus illi cohaereant inter se, iam supra demonstrasse mihi videor. Minus etiam Keilium laudo, quod altero huius carminis loco (v. 24. et 25.) lacunam statuit, coniecturam ille quidem superstruens coniecturae; quid enim aliud est eius opinio verba «sed non effugies» sqq. non ad Cynthiam sed ad aemulum pertinere, nisi coniectura? sed ea coniectura sola usus est argumento, quo nobis aliquot versus inter v. 24. et 25 intercidisse probaret. Quare si ostendero verba illa «sed non effugies» sqq. non ad aemulum sed ad Cynthiam pertinere argumentum illud iam nullum erit, et cum eo omnis lacunae statuendae causa evanescet. Quam argumentationem bono animo suscipio. Et primum quidem exemplum a Propertio allatum de Haemonis et Antigones morte meae sententiae favet.

«Nonne Boeotius ille Haemon», poeta exclamat, «mortem sibi concivit, quod Antigonae amatae superstes esse noluit? at tu interitu meo gaudebis? ne quaquam! non me effugies, mecum moriaris oportet! Quid contra aemulus ad rem? Deinde aemulum interfecisse non est «inhonesta» mors, at inhonestum est puellae mortem inferre. (cf. Verg. Aen. II. 582 sqq.) Nonne denique mirum, ne dicam ridiculum esset, si, postquam toto carmine poeta irato suo in infidam Cynthiam animo habenas dedit, in fine iram illam ad aemulum deflecteret? Nonne ea coniectura omnes nervos omnemque vigorem demimus huic carmini? Attamen nemo credet poetam id, quod minatur, se mortem illaturum puellae, re vera effecturum, non magis quam sibi ipsi mortem conciscit, quamquam v. 17. legimus: «sic igitur prima moriere aetate Properti etc.» Neque effugit poetam, cum ita verbis in puellam saeviret, irae nimis se indulsisse. Quare excusare se studet Achillis exemplo «qui omnia formosam propter Briseida passus est» quamquam multo superior vel matre vel armis «nam tantus in crepto saevit amore dolor».

Verum non satis mirari potui, cum Birtii legerem sententiam, qui l. c. (Rh. M. p. 208) vv. 29—40 utpote carmen solidum a cetera elegia avellendos censuit.*)

Illi versus per se soli quale efficiant carmen quidque sibi velint, equidem non intellego; at coniuncti cum antecedentibus, quin suum habeant argumentum suoque loco sint positi, iam dubium non est. Poeta, ut iam dixi, cum gravius in puellam verbis invectus esset, omnemque iram in eam effudisset, sensit longius

*)... Auf dieses Gedichtchen scheint wiederum ein ähnliches gleichen Umfangs zu folgen. Es hat gefälligen, fast epigrammatischen Ton; sein Thema ist: ich bin so verliebt wie Achill, der alles preisgab, so lange ihm Briseis entrissen war. sequuntur vv. 29—40. «Der Anfang dieses Gedichtes mit etiam, wie («Auch ich war in Arkadien geboren!» (!) kann anderen elliptischen Anfängen gegenüber nicht befremden. Der Dichter suppliert im Gedanken: «Ego perferam omnia; nam etiam Achilles ille imbellis factus est etc.» (!!)

se processisse. Quare Achillis exemplo se excusare studet: «Quid miramini me immodicum esse atque iusto nimis amoris furore vexari, si vel fortissimus ille Achilles abrepta Briseide se continere non potuit et propter illam Achivis irasci non desit!»

Itaque vidimus etiam in hoc carmen multo plures, atque in eo inerant, difficultates illatas esse.

Pervenimus nunc ad carmen II. 9. quod Birt quoque optime defendit (Rh. Mus. p. 202 sqq.). Ad versum 41 huius carminis «sidera sunt testes etc.» haec Lachmann adnotat: «Haec quidem cum superioribus non sane nimis bene coeunt. Illuc enim desperat amator, puellae infideli cedit, cupidinibus se omnibus spiculis ita, ut prorsus pereat configere iubet: nunc repente solum ac viduo toro victurum sese promittit. Putamus igitur et haec quoque ad aliud carmen pertinuisse». Cum Lachmanno in hac quidem re plane fecit Hertzberg, nam ita dicit virum illum doctissimum de eo carmine rem egisse «ut verbum addere longum sit». At contra hos viros doctos carmen defendit Voigt*), qui nihil in hoc carmine deesse demonstrat. Cuius verba cum ipse probem, proferam. Postquam igitur id admonuit, quod de sensuum atque affectuum varietate disputaverunt Naegelsbach ad Hor. c. I. 37**) et Döderlein ad Hor. c. II. 13. elegiam, de qua agimus, hoc modo explicat:

Perfida es Cynthia, (1. 2.) contra ac Penelope et Briseis (3—18), tam perfida, ut nec brevissimum tempus vaces (19. 20.) nec quid deceat quaeras (21. 22.) atque et perfidum amatorem petas (23. 24.) et meam fidem neglegas (25—28), et si abessem, turpiora etiam committeres (29. 30.). Sic dum in perfidia amiae versatur, proprii damni dolore imbutum esse appetet, qui quidem increscit dolor, quo magis illam verbis amplificat, mox autem in indignationem transit, ubi (35—36) eandem ab omni sexu muliebri perfidiam committi animo proponit; unde cum ad suam calamitatem revertitur (37—40) et cedere fortunae constituit et in iustum desperationem descendit. Sed in hac desperatione tamquam sua se virtute involvit et non sine tristi quadam voluptate in sua fide, quam et servarit et sit servaturus contemplanda versatur (45—46); qua cogitatione ipse se aliquantulum consolatus ultioris acerbam voluptatem animo praecipit, cum prius tranquillior aemulo subitam mortem optat, deinde maiore odio incensus eius mortem sua se morte libenter redempturum declarat. (47—52).»

*) De IV. Prop. libro diss. Helsingf. 1872. p. 5. sqq.

**)....Drittens wünschen wir von den Auslegern in den Oden dasjenige schärfer ins Auge gefasst, was wir uns erlauben die lyrische Handlung zu nennen. Wir verstehen darunter den Wechsel und Fortschritt der Stimmung, die Bewegung und den Verlauf der Gefühle des Dichters. Es bleiben sich diese in vielen Oden nicht gleich; es geht innerhalb des Liedes etwas vor. — — — Das Vorhandensein oder Fehlen dieser lyrischen Handlung muss relevant werden für die höhere, besonders ästhetische Kritik des Dichters.

Quibus nihil addam, nisi quod Voigt unum non satis pressisse mihi videtur, hoc dico, quod poeta in hoc carmine invidiam suam et iram in aemulum verbis expressit, id quod per totum carmer, inter varias poetae excitati animi eruptiones interpositum, ab initio usque ad finem (v. 52) observari potest; (cf. v. 1. «iste quod est, ego saepe fui» v. 23. «hic etiam petitur» v. 28. «hic ubi tum, pro di etc»), et ita quidem, ut ira et odium paulatim accrescant, donec in fine summo odio incensus confitetur se aemuli invisi mortem vel sua morte esse redempturum. Tres igitur personae huic carmini vim quasi scaenicam attribuunt; amator (poeta), amata (Cynthia) et aemulus, neque fieri potuit, quin huius perfidia (cf. v. 23... «qui te prius ipse reliquit», v. 28. «hic ubi tum, pro di, perfida, quisve fuit») cui semper a se servatam fidem opponit (cf. v. 41. sqq. «sidera sunt testes..... te nihil in vita nobis acceptius umquam») dolorem poetae augeret atque ad summam desperationem eum perduceret, praesertim cum ea aemuli perfidia lascivam puellam impedire non potuisse, quominus Propertium ei posthaberet. Quae cum ita sint, iam non dubito adfirmare haec omnia apta inter se et connexa esse. At quam bene versus 41. superiores excipiat, id quod nonnulli negarunt viri docti, iam inde est perspicuum, quod ubicunque Propertius de sua fide loquatur, plerumque de aliena perfidia disputet, quo clarius illa eluceat atque emineat; cf. I. 19. 1—7:

«Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes,
Nec moror extremo debita fata rogo:
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeo leviter nostris puer haesit ocellis,
Ut meus oblitus pulvis amore vacet.

I. 12. 15—20:

«Felix, qui potuit praesenti flere puellae:
Non nihil aspersis gaudet Amor lacrimis;
Aut si despectus potuit mutare calores:
Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mi neque amare aliam neque ab hac discedere fas est:
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit».

Eius modi exempla multa adferri possunt e. g. I. 15. 29; I. 18. 5—21., II. 18. 13., III. 25. 3. etc; sed simillimus transitus est in II. 15. 17:

«Nunc iacere e duro corpus licet, impia, saxo,
Sumere et in nostras trita venena manus.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo,
Tum flebit, cum in me senserit esse fidem

Prioribus versibus (15. 16.) desperat amator, nunc (v. 17. 18.) fidem promittit puellae infideli; et tamen in ea sententiarum serie, quae est in carmine II. 9. sine causa haeserunt viri docti.

Iam de elegia II. 10. videamus, num sit integrum carmen. (Nam de quaestione, utrum elegia illa suo loco in codicibus tradita sit, an nisi in initio libri cuiusdam Augusto dedicati stare non possit, inferius disputabimus).

Haeserunt viri docti in «sed» particula, quae initio carminis legitur. Qui cum ita carmen incipere posse negarent, illud «sed» vario modo tollere sunt conati. Lachmann autem adnotavit: «Ab initio carminis aliqua periisse, ipsa verba faciunt fidem». Idem iudicium tulerunt Gruppe*), Paldamus **), Drenkhahn ***).

Contra horum sententiam rectissime docuit Hertzberg (quaestt. p. 130). Propertianaे elocutionis impetui vocem illam esse accommodatissimam, cum particula, cuius propria in continua oratione sit sedes, ab initio collocetur, ita ut, quae antea tacite animo volverit poeta, subito interrumpere et in media s quodam modo res lectorem ducere videatur****) Neque desunt eius rei exempla; cf. I. 8. «Tune igitur demens»....

III. 7. 1. Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitae es!

III. 23. 1. Ergo tam doctae nobis periere tabellae!

Quare minime Lachmann evicit hanc elegiam a principio mutilam esse. Sed cur Heydenreich (quaestt. Prop. diss. p. 20) «at tempus lustrare» aut «est tempus» legi malit, equidem non video.

Sed transeamus ad elegiam II. 11. Quae profecto multis offensioni fuit. Lachmann «hi versus, quo pertineant, nescire se ait, sed neminem sperat haec pro integro carmine accepturum, sensu quidem non parentia sed lucem atque elegantiam a ceteris demum acceptura». Scaligerum, qui ex his sex versibus cum praecedentibus triginta consarcinatis unum confecit carmen mira profecto sententia supposita, suo iure reprehendit. Num autem ipse recte huius carminis brevitate sit offensus, dubitari licet. Quamvis enim sit parvum, attamen per se ipsum sanum habet sensum eumque absolutum, neque quicquam desideratur. Quid si sumemus Propertium aliquando morositate animique tristitia adfectum et ira puellae infidelis commotum hos versiculos composuisse. Nonne

*) Röm. El. p. 275.

**) Praef. p. 38.

***) Stroph. Compos. etc. in diurn Berol. 1868 p. 184.

****) Birt quoque simili ratione ductus (Rh. Mus. p. 209) eam elegiam defendit «Auch an das... Ged. tetra bibl. II. 10. «sed tempus etc.» sei noch besonders erinnert. Dass von ihm der Anfang weggefallen sei, ist nicht zu glauben; wir haben vielmehr auch hier der Lebhaftigkeit des Dichters nachzugeben und mit ihm zu supplieren: «Quod luc usque amores scripsimus dulce fuit. Sed iam tempus campum dare equo Haemonio»

Quamquam, quod ad exemplum illud sententiae ab eo propositum adlinet, non plane cum eo facio; sed de ea re inferius disputandi erit locus.

putas tum brevitatem illam epigrammaticam vim habere suam effectumque? Quae interim adnotasse sufficiat. Nam certo quodam consilio hoc carmen a poeta compositum esse postea erit demonstrandum, cum Birtii coniecturam illustrabimus, cui haec carmina disponenti ista elegia non minores quam aliis viris doctis praebuit difficultates.

Sed nunc his missis restat, ut de carmine **II. 13.** agamus. Lachmann enim post v. 17. huius elegiae novi carminis initium statuit, Hertzberg post v. 42. Sed ego non despero fore, ut in hoc quoque carmine mihi ostendere contingat utramque disiungendi causam futilem esse. Et primum quidem cum Lachmanno rem habebo. Qui ea re offensus est, quod versus illos, quibus poeta contemptionem suam vulgi opinionis declarat, iudiciumque amicæ eiusque amorem ceteris omnibus praefert, ii sequantur, quibus funus suum exsequendum puellæ mandat et quomodo hoc fieri velit, exponit. Evidem cum Lachmanno facere nequeo. Praecedentibus enim Propertius dicit unam Cynthiam sibi pluris esse quam omnes ceteros, neque solum in vita, pergit, sed etiam post mortem, eaque de causa se contentum fore dicit, si Cynthia suas exsequias sit secutura; ei igitur de ea re preecepta mandat. Ceterum eandem sententiarum seriem habes in Tib. carm. I. 1. 57. sqq.

«Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
 Dummodo sim, quaeso, segnis inersque vocer;
 Te spectem supprema mihi cum venerit hora,
 Te teneam moriens deficiente manu.
 Flebis et arsuro positum me, Delia, tecto
 Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis».

Sed iam Hertzbergii de hoc carmine sententiam considemus! Qui (l. c. p. 98—99) huius carminis argumentum disposuit sed tantum usque ad v. 43; nam usque eo id carmen ita perfectum et consummatum appellat, «ut nihil omnino hinc omitti, nihil sine damno addi possit. Sed inde quae sequuntur cum praecedentibus ullo modo cohaerere omnino negat. His enim verbis pergit: «Iam mihi considera, quid illud sit, quod librarii dignum habuerint, quo tam egregium poema ipsumque adeo conditum et sepultum poetam contra eius vota suprema turbarent. Eum, quem ita contentum sua conditione modo vidimus et beatum, ut vel post cineres alia uti se velle negaret, hunc eundem continuo iubent vitam suam exsecrari horamque ipsam, qua primum lucem adspexerit, flebiliter detestari».

Sed primum Voigtio praesunte ad haec respondeam Propertium nequaquam tam contentum sua sorte esse, ut Hertzbergio visum est. Nam tantum abest, ut illis versibus, quos imprimis vir ille doctus spectat, Propertius se contentum et beatum esse dicat, quod Cynthiae amorem fidelem et constantem habeat, ut hoc

profiteatur: «contentus felixque essem, si a Cynthia vere a marer;» optat igitur magis, quibus carere videtur, quam iactat quae habet. (cf. v. 11. «me iuvet»; v. 13. «haec ubi contigerint»; v. 15. «quae si forte bonas ad fidem verterit aures»; cf. denique v. 1. ubi pectus suum innumerabilibus spiculis transfixum ait, quae certe non sunt verba beati animi feliciterque amantis). Sed duae praeterea res monent vv. 43 sqq. cum praecedentibus esse coniungendos. Et primum quidem v. 51: «Tu tamen amisso nonnunquam flebis amico» prorsus non intellegitur, nisi Propertium obitum esse ante a dictum erat. Quo versu poeta se quodam modo consolatur, timoremque, ne Cynthiae amorem et sepulturae curam amitteret, reprimit. Qui timor a Sexto non est alienus; cf. carm. I. 19. 1:

«Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes
Nec moror extremo debita fata rogo:
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore
Hic timor est ipsis durior exsequiis».

Atque is timor causa est, cur vv. 43—44 vitam suam determinetur seque iam primis cunis mortuum esse cupiat, quoniam, si parvulus mortuus esset, eo timore nunc vexari non posset. Quae sententia firmatur exemplo Nestoris adlato; nam hic quoque, postquam ad summam senectutem pervenit, magnam illam calamitatem magnumque dolorem effugisset, maturius si obisset. Neque miraberis, quae causa sit, cur Propertius — ut supra monstravimus, tantopere eo timore vexetur, si legeris, quanti faciat Cynthia, quam I. 11. v. 21. sqq. ita adloquitur:

«An mihi nunc maior caraे custodia matris
Aut sine te vitae cura sit ulla meae?
Tu mihi sola domus, tu Cynthia, sola parentes.
Omnia tu nostrae tempora laetitiae».

Quare vv. 43—58 non abhorrent a reliqui carminis argumento neque novam a reliquo carmine alienam sententiam continent, id quod Hertzbergio visum est. Quae cum ita sint, adfirmare non dubito hoc quoque, quod modo tractavimus, carmen lacunis omnino vacare.

Itaque carminibus, quae in ius erant vocanda, examinatis iam videmus condicionem illam libri secundi non tam tristem atque desperatam esse ac Lachmann putavit eumque secuti, alii viri docti. Quamquam non negaverim primo obtutu nonnullos illorum locorum difficiles videri intellectu. At si inde poetae ipsius respecta aliisque locis collatis, filum, quod membra singula coniungat, quaesiveris, omnia plana esse tibi persuadebis. Est enim Propertius unus ex iis poetis, quorum lectio per propriam.

quae eorum est, cogitandi dicendique rationem, non parvas saepe praebeat difficultates. Hertzberg igitur cum multis locis tum in pag. 96 quaestionum Propertianarum, ubi rationem, quae intersit inter Propertium et Tibullum exponit, suo iure haec de eo monet: «Atque hoc illud est, quo Propertius maxime a Tibullo differt, cuius pellucida, ut ita dicam simplicitas tantum abest, ut mihi sordeat, ut pro carminum illorum indole summa laude dignam eam esse satis praedicaverim. Hoc vero adnotasse minime supervacuum videtur siccum illam perspicuitatem et normam ubiquique anxie servatam proximum habere vitium maciem, quae ubertate ingenii dispositionis nervis strangulata, ossa quidem recte iuncta ostendat sed carne et vita carentia».

Suo igitur iure continentiae admonet eos, qui ubicumque argumenta per se incongrua unius poematis ambitu contineri animadverterint nec velut ad rubricam directi carminis rationes prima statim fronte perspexerint, turbatum aliquid illico aut a librario aut, quod peius est, a poeta opinantur.

Sed primum illud argumentum, quo Lachmann usus est, iam absolvisse mihi videor. Nam et contra Lachmannum et contra Birtium ostendere conatus sum testimonia illa ex veterum scriptoribus vel ex Ovidio deprompta nihil valere neque libri secundi condicionem tam tristem eiusque prioris partis carmina tam lacunosa esse, quibus de causis conici possit aut magnam aut omnino aliquam partem carminum Propertianorum ad nostram aetatem non pervenisse. Alia vero causa omnino deest. Nam si parvum annorum numerum, quos poeta complevit, consideraveris, contra ea magnam doctrinam, quam ad carmina componenda more Alexandrinorum undecunque acquirere debebat, futurum esse spero, ut poetae opera, quae hodie in nostris manibus versantur, satis multa tibi videantur.

Quae cum ita sint, primum Lachmanni argumentum, quo illam, quam excogitavit, conjecturam se probare posse sperabat, vanum esse affirmo.

B.

Sed nunc de altero Lachmanni argumendo agemus. Carmen enim **II. 10.** («sed tempus lustrare aliis....») viro illo doctissimo, quantam partem carminum Propertianorum illae, quas in libro secundo statuit, lacunae hausissent indicare visum est. Nempe carmen illud, quo puellam amatam iam satis sibi scriptam poeta narrat, res ab Augusto gestas celebraturum se promittens, quem ut adhuc parva sacra benigne accipere velit, rogat — hoc carmen alibi, nisi in capite libri cuiusdam Augusto dedicati poni potuisse negat.

Itaque illud carmen initium quondam fecisse suspicatur novi libri (III.), qui, cum liber secundus temporum iniquitate tantopere vexatus et laceratus esset, cum illo confusus est.

Sed de ea potissimum quaestione doctorum virorum sententiae quam maxime variae fuerunt et discrepantes. Et dignum est, quod commemoretur, ne eos quidem, qui Lachmanni conatum ceterum probarunt, omnes utique cum eo fecisse. Et Keil^{*)} quidem Lachmanni de ea re opinionem tam certam et extra omnem dubitationem positam esse negat, quia non minus in medio libro primum illud libri III. a Lachmanno statuti carmen locum tenere potuerit; et ea de causa incertum relinquendum censem, a quo carmine tertium librum exorsus sit poeta, praesertim cum illud ipsum possit deesse.

At Hertzberg^{**)}—ut opponentium quoque auctorem adferam—haec fere adnotavit de hoc carmine: «per esset mire factum, si poeta libro, qui totus usque ad finem in celebrandis amoribus suis versaretur, praefationis loco carmen praemitteret, quo illis amoribus valediceret». Idem vel simile iudicium alii quoque tulerunt viri docti. Neque vero defuerunt, qui huic carmini nec locum in codicibus traditum nec a Lachmanno conjectura adsignatum, sed alium quendam attribuendum esse contenderent. Quos hoc loco non curabimus, quamquam facere non poterimus, quin in inferiore dissertationis parte rationem eorum habeamus. Nunc vero, quid illud tandem valeat, quod Lachmann de carmine II. 10. ad librum aliquem Augusto dedicatum introducendum apto adfirmavit, examinabimus. Qua in re ut aliquid proficiamus, necesse erit, ut carmen illud ipsum diligenter consideremus et recte interpretemur, quo facilius consilium, quod poeta ipse in elegia ista componenda spectabat, appareat. Neque vero hac in re tractanda multa consumam verba, sed quae poetae indolem mihi consideranti se obtulit animumque meum sententia subiit, eam breviter proferam.

Itaque non Lachmann solum, verum etiam omnes fere viri docti, qui ei rei investigandae operam dederunt, excepto uno Birtio, quem in hoc carmine explicando mecum stare gaudeo^{***}), adfimarunt Propertium hoc carmine Augusto promisisse se eius res gestas epico quodam carmine vel eius generis carminibus cantaturum esse et consilium apertum ostendisse amoribus relictis epica canendi. Quod Sextum ne cogitare quidem potuisse ex ipsius carminibus demonstrare me posse spero. Quicumque enim Propertii carmina perlegit, certe sciet poetam multis locis profiteri suum ingenium ad epica canenda non aptum

^{*)} I. c. p. 45.

^{**) I. c. p. 217.}

^{***)} Quamquam et ille quidem ad eos accedit, qui hoc carmen aptum esse adfirment ad librum Augusto dedicatum incohandum.

esse Musasque sibi, ut elegias fingeret, tantum concessisse. Quid quod in carmine illo III. 3. 15—22 nobis enarrat visum sibi esse per somnum, cum in Helicone recubaret velletque bibere ex iisdem, quibus Ennius hausit, fontibus, iamiamque carmen esset canturus de priscis Romanorum rebus gestis, Apollinem se convenisse hisque verbis se admonuisse:

«Quid tibi cum tali, demens, est flumine, quis te
carmenis heroi tangere iussit opus?
Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti:
Mollia sunt parvis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno iactetur saepe libellus
Quem legat exspectans sola puella virum.
Cur tua praescripto seveta est pagina gyro?
Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas:
Tutus eris: medio maxima turba mari est».

Sed etiam a Calliope Musa eadem praecepta sese accepisse nobis narrat; (*ibid. v. 39—50*):

«Contentus niveis semper vectabere cycnis
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus
Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano praelia signo
Stent et Teutonicas Roma refringat opes
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia maerenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes
Nocturnaeque canes ebria signa fugae
Ut per te clausas sciatis excantare pueras,
Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis
Ora Philetaea nostra rigavit aqua».

Neque vero desunt alii loci, ex quibus idem possit elici; quos tamen omnes exscribere longum est; quare nonnullos tantum eorum protulisse satis habebo, velut III. 1. 1.

«Callimachi Manes et Coi sacra Philetæ
In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus».

III. 1. 7:

«Ah valeat, Phoebum quicumque moratur in armis».

III. 1. 15:

«Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent
Qui finem imperii Bactra futura canent:
Sed quod pace legas, opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra via».

III. 1. 19:

«Mollia, Pegasides, vestro date certa poetae:
Non faciet capiti dura corona meo».

III. 9. (ad Maecenatem):

«Quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
Non sunt apta meae grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu».

III. 9. 35. sqq.

«Non ego velifera tumidum mare findo carina
Tuta sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi nec septem praelia clade pari,
Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis arces
Et Danaum decimo vere redisse rates,
Moenia cum Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiae ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos
Et cecinusse modis, Dore poeta, tuis
Haec urant pueros, haec urant scripta puellas,
Meque deum clament et mihi sacra ferant».

Haec vero iam satis sint. Quae exempla et carmina si attente perlegeris, iam interrogabo: Potuitne poeta, qui tam manifeste et distincte saepius edixit sibi epica canere denegatum esse a Musis, subito indole sua prorsus mutata promittere se Augusti res magno quodam carmine epico vel eius generis carminibus cantaturum? Evidem ex animi mea sententia id fieri potuisse nego et si meam vis audire opinionem, res ita se habet:

Id iam extra omnem dubitationem positum est multisque e locis elucet poetam, postquam in intimam Maecenatis amicitiam venit, a viro illo clarissimo poetisque illius temporis egregiis amicissimo saepius admonitum esse, ut ludis illis amatoriis missis altiora iam adpeteret et Augusti laudes epico quodam carmine celebraret. Quid igitur impedit, quominus sumamus poetam, quoniam per indolem suam fautoris voluntati omni ex parte satisfacere non poterat, hoc unum carmen composuisse atque, ut voluntatem saltem suam ostenderet Maecenati, ad Augustum occasione quadam singulari sollemnique data misisse? Itaque adfirmo

poetam quondam, ut Maecenatis adhortationibus ex parte quidem satisfaceret hoc carmen ad Augustum misisse idque ipsum carmen esse «vilia tura» (nam res ab Augusto egregie gestae a poeta v. 13—19 commemorantur) quae, cum ipsum laudis culmen descendere nequeat (v. 23—24) Propertius imperatori se offerre dicit; eo igitur ipso carmine se, quantum possit, celebrare ait Augusti nomen, utpote, qui in magnis signis caput tangere nequeant, coronam ante pedes ponere soleant.

Neque vero carminis ipsius natura coniecturae meae repugnare videtur. Hinc enim mea quidem sententia repetendum est, quod carmen, quasi sollemnis allocutionis loco duplex exordium pari sententia prae se fert;*) (vv.1—6 = vv. 7—12); et omnino copiam quandam verborum et orationis et emphasin quandam, quae in hoc carmine non potest non observari, huc referam. Mirum enim in modum commotum fuisse, cum ad imperatorem ipsum scriberet, poetam facile intellegemus. Aspicias praeterea, quaeso, versum 11. huius carminis:

«Surge, anima, ex humili iam **carmine** sumite vires
Pierides: magni **nunc** erit oris opus.»

Hoc igitur carmine, quo, ut delicias amatorias canat, tantum abest, ut imperatoris summe venerandi res gestas celebret, Pierides vires sumere iubet. Denique mihi quidem, quotienscumque primum huius elegiae versum:

«Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis»

perlego, in mentem semper venit initium illud carminis cuiusdam Horatiani:

«Nunc est bibendum nunc pede libero etc.»

eaque ipsa res cum prioribus, quas protuli, causis opinionem meam confirmavit Propertium hoc carmen occasione quadam sollemni data ad Augustum misisse simulque — id enim tenendum est — Maecenati satis facturum. Quod si carmen ita interpretamur, iam bene intellegemus quaedam, quae in hoc carmine admirationem nostram quodammodo commovent. Facile enim observabis audaciam quandam vel superbiam mirum in modum cum pavore quodam minimaque sui fiducia mixtam esse. Summo enim poetico impetu insurgit poeta, mox autem suas vires suumque ingenium ei, quam in animo habet, rei sufficere posse desperat; nunc summa se adpetitum dicit, nunc voluntatem pro re ipsa

*) Qua de re egit Karolus Weber in dissertatione Halensi a. 1875 quaest Prop.) p. 29; neque tamen si eos versus in suspicionem vocat, cum eo facio.

acciendam esse censem. Quod nullam mihi movet admirationem. Hoc enim est illud, quod iam supra monui, scilicet Sextum nihil certi promittere voluisse hoc carmine Augusto; itaque fit, ut quae altero versu elatiore quodam animo et singulari quadam alacritate se aggressurum promittat, ea iam altero versu restringat et quodam modo retrahat. Id unum enim secutus est, ut in praesens tandem aliquid scriberet ad Augustum; futurum autem tempus non ita multum curavit. Itaque facile promisit, quod iam eo, quo scribebat, tempore se numquam fortasse prae-
staturum persuasum habuit; neque aliud quicquam spectabat, nisi ut paratum suum animum et voluntatem suam ostenderet. Quod cum ex omni carminis natura et tenore tum ex versibus 5—6 facile cognosci potest:

«Quod si deficiant vires, audacia certe
laus erit: in magnis et voluisse sat est»

Qui versus verum poetae animum aperire, quidque reapse poeta hoc carmine componendo spectaverit ostendere mihi quidem videntur. Quam in rem diligentius inquirendum putavi; nam maximi momenti ad hanc, de qua nunc agimus, quaestionem recte absolvendam esse censeo, ut hoc carmen II. 10. recte interpretemur, quia iudicium de loco huic carmini in serie carminum Propertianorum adtribuendo aliud erit, prout de carminis argumento in universum et de versibus 21—24 singulatim iudicaveris. Mihi igitur poeta nec Augusto se eius res gestas epicis carminibus, sed talibus, qualia fingere possit, nunc esse cantaturum promittere videtur, nec — id quod Lachmannum suspicatum esse appetet — Augustum rogare, ut, cum adhuc ad epicum carmen adscendere nequeat, nunc pro epico carmine «vilia sacra» i. e. carmina a matoria accipiat benigne; sed meo quidem iudicio verba illa «vilia tura» non ad carmina quaedam, quae poeta se scripturum promittat, sed ad ipsum carmen II. 10. pertinent. Id igitur carmen — cuius versus 13—19 Augusti res gestas celebrant, quantum quidem elegi possunt, ut benigne accipiat, Propertius rogat. Quae de carminibus in Augusti gloriam componendis prominuntur, ea non ita multum valere iam supra exposui; nam in futurum tempus prorsus incertum et infinitum ea differuntur. De hac igitur re constare debet, priusquam de Lachmanni sententia, qui hoc carmen alio loco, nisi in capite libri cuiusdam Augusto dedicati poni potuisse negat, iudicetur. Nunc demum firmo quasi fundamento posito meam de hac controversia sententiam profaram, in qua me non stare profiteor cum Lachmanno eisque, qui eum secuti sunt. Tantum igitur abest, ut credam hoc carmen quondam in capite cuiusdam libri Propertiani locum tenuisse, ut suo loco in codicibus nobis traditum esse mihi persuaserim. Nam demonstrasse mihi video argumentum huius carminis non esse tale,

ex quo id, quod Lachmann conclusit iure concludi possit. Quod tum demum liceret, si carmen illud certissima signa, ita ut dubitationi iam nullus locus esset, prae se ferret Propertium et carmina, qualia promittat, scripsisse et scripta, hoc ipso carmine praeposito, ad Augustum misisse. Quae equidem in hoc carmine prorsus desidero. — Sed ut exstaret huius generis carmen, tamen priusquam iudicaretur in initio libri cuiusdam ponendum esse, demonstrandum esset aut re vera carmina quaedam superesse, quibus carmen illud praefationis loco anteponi posset (neque si res ita se haberet, deessent) aut comprobari deberet ea carmina quondam exstitisse, sed mala quadam fortuna ad nostram aetatem non pervenisse. Sed neutrum demonstratum est adhuc neque — puto — demonstrabitur. Neque enim, si verum quaerimus, carmina supersunt Propertiana, quibus hoc carmen capitis loco anteponi possit, neque ex iis, quae supra de ingenio Propertii ad elegias tantum componendas apto disputavi — si quid recti vidi — conjecturam fingere nobis licet ea infortunio vel casu quodam perisse. Cum igitur carmen illud per se ipsum — quia unum est sollempni quadam occasione oblata scriptum — inter alia carmina positum nullam praebat difficultatem*) (si ita, ut supra exposui, interpretamur) iam variae difficultates oriuntur, si singularem locum et singularem quandam rationem ei attribuere vis. Nam ex iis, qui exstant, libris Propertianis ne unus quidem talia continet carmina, ut carmine H. 10. capite uti possit, nisi forte concedimus inter primum libri carmen totiusque libri argumentum nullam omnino rationem intercedere debere. Quod cum in omnibus elegiarum scriptoribus (cf. quae Voigt l. c. p. 13—16 de ea re investigavit**) tum in eo, quem nos tractamus, poeta tolerari prorsus nequit. Nam si primum quodque et ultimum uniuscuiusque libri Propertiani carmen perlegeris, fieri non poterit, quin observes artissime ea congruere cum totius libri argumento; semper enim primum et ultimum carmen formam quodam modo efficiunt, quae apta est et accommodata iis, quae ea forma includuntur carminibus. Cur autem poetam in hoc ipso libro de consuetudine sua carminum apte distribuendorum decessisse sumamus, equidem iustum causam video nullam. Quare si quis credamus voluerit carmen H. 10. quondam initium fecisse novi cuiusdam libri, demonstrare idem debebit eandem ei carmini cum consequentibus carminibus atque in ceteris libris intercedere rationem, id quod vix cuiquam continget. Supra enim ostendere conatus sum poetae animum totum in hoc uno carmine ipso defixum esse neque ullam cerni in ea elegia significationem carminum consequentium. Quae

*) Ostendere enim postea, cum de libri secundi carminum digerendorum ratione agam, conabor non sine certo quodam consilio eum locum, quo nunc legitur, a poeta ipso ei carmini adtributum esse;

**) Ea quae hac de re disputavit A. Otto in ephem. Hermes vol. XX. (1885) p. 552 72 postea respiciemus.

in carmine quo Propertium librum novum incohasse credamus, desiderari nullo pacto potest.

Sed iam facere non possum, quin hoc loco Birtii faciam mentionem, qui, quamquam elegiam II. 10 — quod ad summam adtinet — eodem fere modo atque ego interpretatus est, tamen, quod ego supra poposci, praestare se posse putavit. Demonstrare igitur conatus est eam elegiam signa prae se ferre, quae ostendant certam illam rationem ei carmini et cum sequentibus et cum ultima eius libri elegia (II. 34) intercedere. Itaque et eius explicationem in universum et unius distichi transpositionem, quam proposuit, examinabo. Et primum quidem de transpositione videamus. Birt igitur vv. 7—8:

«Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus:
Bella canam, quando scripta puella mea est»

legi vult post v. 20.

Cui transpositioni si multa obesse demonstravero, iam elucebit causas, quae Birtium, ut versus illos transponeret, permoverunt, vanas esse Sed ante omnia monuerim Birtium versum 8: «bella canam, q u a n d o scripta puella mea est» male interpretatum esse. Nam interpretatur ille: «Krieg werde ich singen, b i s mein Mädchen besungen ist» sive, ut ipsius utar verbis: «Krieg werde ich d a n n singen, wann ich meine Geliebte zu Ende gesungen habe»; et haec addit verba uncis inclusa: (es steht «q u a n d o» da, nicht etwa «quoniam»: Sed vocem «q u a n d o» et temporalem et causalem habere posse notionem nemo nescit. Utra vero hoc loco isti voci subiecta sit, id iam quaeritur. Et si meam audire vis sententiam, hoc loco nisi causalem significationem habere non potest. Quod ex omni prioris eius carminis partis colore demonstrari potest. In illa enim parte poetam permagno quodam impetu novum quoddam poesis genus iamiam se incepturum esse fingere nemo non videt: «Sed tempus lustrare a l i i s», incipit, «Helicona choreis». Quare, utut est, speciem praebet vel praebere vult eius, qui consuetudine abiecta ad novum aliquod accedit. Verum quare id faciat, versus ille declarat: «bella canam, quando (weil) scripta puella mea est. Quod Birt negat nisus in versu antecedente: «Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus». Hunc vero scrupulum ei eximam. Non ita gravis enim mihi esse videtur. Nam acriore quodam animi impetu magis quam cogitatione et consilio hoc in carmine poetam uti facile unusquisque intelliget. Itaque immodata quodam veri superlatione sibi iam extremam aetatem adpropinquasse fingit, quamvis iuvenis tum temporis esset; verum senex omnino Sextus miserimus non factus est. Attamen illis antemissis: «sed tempus lustrare ali i s Helicona choreis» non solum illud, quod sequitur, dicere potuit, quin offenderet, sed quodam modo exspectatur tale quid: «Prima iuventute absoluta

iam ad severiorem aetatem perveni simulque severius quoddam genus colendum est! Quamquam igitur per se patet nullius fere momenti rem in hoc carmine Birtium nimis pressisse, tamen aliam eamque multo graviorem causam proferam ad eum refellendum. Duo haec elegia H. 10 habet exordia, vv. 1—6 et 7—12. Quorum sex distichorum tria posteriora accuratissime non solum respondent tribus prioribus sed unumquodque eorum eandem fere exprimit sententiam. Et primo quidem disticho prioris exordii:

«Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis
Et campum Haemonio iam dare tempus equo»

accuratissime respondere facillime intelleges alterius exordii primum distichon:

«Aetas prima canat Veneres, extrema tumultus:
Bella canam, quando scripta puella mea est».

Quae partium symmetria transpositione illa, quam Birt proposuit, prorsus turbatur; quare accipienda non est. Pertinet igitur distichon illud: «aetas prima etc.» ad priorem carminis partem, qua poeta alacriore impetu quodam modo surgit et repentina quodam, quasi vento, impetu animi incitatus invehitur, verum non ad ultimam partem, ubi iam vela retrahit. Itaque versus ille: «bella canam, quando scripta puella mea est» vertendus est: «Krieg will ich nun singen, da mein Mädchen besungen ist» («*Bella canere*» non de epico quodam cantu sed de rebus quibusdam bellicis commemoratis adhibitum praeter hunc locum apud Propertium legis IV. 6. 69. Ibi enim pugna Actiaca compluribus versibus celebrata iisdem fere verbis ad alia transit: «*Bella satis cecini!*»)

Quod si ita, ut supra ostendi, illum versum vertimus (neque — puto — dubitabis, quin ita vertendus sit) versum ipsum eo, quo codicibus traditur, relinquendum esse loco clarius est luce. Verum his concessis iam aptus ille, quem Birt statuere voluit, transitus ad carmina amatoria in fine elegiae H. 10. desideratur. Sed unum hoc praeterea tecum consideres veliu, quod adhuc contra Birtii transpositionem non protuli. Versus igitur illi 7 et 8 eo, quo vir ille doctus vult, loco positi et ita explicati offensionem certe habent imperatoris Augusti. Nam si verba illa, probata Birtii transpositione, ex vineta in dissolutam orationem transferimus, haec fere Propertius dicit Augusto: «Te tuaque facta extremis vitae meae annis celebrabo, nunc vero aliquid antiquius mibi est: puella enim mea adhuc est cauenda!» Quod quidem scribere non potuit, quin gravissime et Augustum ipsum et Maecenatem offenderet. Attamen equidem supra ostendere conatus sum Propertium in ea ipsa elegia componenda id potissimum spectasse, ut Maecenati, graviora ut caneret, monenti ex parte quidem satisfaceret. Quod certe non consecutus esset, si elegiam ita, ut Birt vult, conclusisset.

Sed satis iam superque demonstrasse mihi video argumentis satis gravibus prolatis Birtio, disticho illo in finem carminis transposito et haud recte explicato non contigisse, ut demonstraret aptam rationem intercedere carmini H. 10. cum sequentibus elegiis. Nam transitus ille aptus, quem statuere voluit, prorsus deest. In e u n d e m vero errorem Birt incidit, cum aptam rationem ostendere vellet, quae intercederet carmini H. 10. cum elegia II. 34; (nam id quoque poscendum est.) Hanc enim de ea re fert sententiam: Und gerade ihm (scil. carm. II. 10) scheint der Schluss dieses Buches sinnvoll zu entsprechen. Hier überschaut nämlich Properz die Leistungen seines Collegen Vergil, und indem er sich selbst ausschließlich das Feld der Elegie vorbehält, verbindet er mit einer Charakteristik der Vergilischen Hirtengedichte und Georgica die Ankündigung der schon begonnenen Aeneide. Man wird das Recht haben zu glauben, dass dies Finale nicht ohne zurückblickenden Bezug auf die Introduction an Augustus geschrieben sei, indem für die Darstellung der Thaten des Kaisers, die hier vom Elegiker kümmerlich versucht, dann in Frage gestellt und auf s e i n s p ä t e s A l t e r verschoben war, jetzt im Vergil ein sicherer und brauchbarer V e r t r e t e r nachgewiesen wird. Mag sich diese Elegie immerhin in ihrer Anrede an den Lynceus wenden, so soll sich doch mit dem «qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma» und «nescio quid maius nascitur Iliade» gewiss Augustus selbst an jenes vergebliche «nunc erit oris opus» vom Dichter nicht ohne ein Lächeln der Bescheidenheit zurückerinnert sehen.»*)

Unam hercle sententiam parvamque carminis partem Birt e contextu evellit, quae reliqui carminis argumento prorsus neglecto nihil valet. Neque eam sententiam primam et gravissimam esse et alio modo cum reliquo carmine cohaerere postea demonstrabo.

Est sane eius ultimae elegiae prima atque gravissima sententia haec: «ego semper elegiis componendis me dedam; nam ad e a m r e m i n g e n i u m m e u m a p t u m e s t, u t a l i o r u m a d a l i u d p o e s i s g e n u s c o l e n d u m. Neque vero Birt mihi persuadebit in ea sententia exponenda (qua in re Lynceum poetam adloquitur veneras voluptates et puellas non ita aspernantem, quem, ut idem genus atque ipse colat ad puellas conciliandas permovere studet) id egisse, ut Augusto, de quo certe ne cogitavit quidem, responderet. Qualem vero Birt Augustum cogitatione sibi fingit? Nonne imperator fuit orbis terrarum? Attamen credamus vult Propertium poetam Augusto, orbis terrarum imperatori, simili modo atque puellae, cui in praesens iratus erat, superbissime respondisse verbis illis: «scribant de te alii!» Quid enim, nisi id, exprimunt versus illi Propertiani H. 34, si Birtium quidem audimus eiusque sententiam probamus? Nonne id omni urbanitati repugnat? Nonne melius erat prorsus tacere et impe-

*) Bücherwesen p. 421—22.

ratorem omnino non curasse quam tali modo quasi ludibrio habuisse?

Itaque si Birtii de hac controversia sententiam eiusque argumenta, quibus Lachmanni sententiam probare studuit, scilicet carmen II. 10 in initio libri Augusto dedicati locum tenuisse, iterum animo perlustramus eius sententiae summa haec fere est: «Dedicavit quidem Propertius Augusto elegiarum suarum librum unum; sed praefationis loco iis elegiis carmen quoddam praeposuit, in cuius media parte sex versibus imperatoris res gestas breviter enarrat, deinde (in fine eiusdem elegiae) Augustum, ut in praesens his vilibus turibus contentus sit, rogat; nam in praesens suum ingenium ad epica canenda non solum non aptum esse sed praeterea aliquid antiquius sibi esse, scil. puellam suam canendam! quae ubi satis sit scripta, tum demum ad Augusti laudes canendas se accessurum.» Pulchra, hercle, ea est ad imperatorem Augustum dedicatio! Sed venustiorum etiam rem in epilogo eius libri investigavit Birt. Eum si audire vis, in epilogo eo iam nihil omnino imperatori promittit poeta, contra ea, quod in prologo promiserat, prorsus retrahit, Augustoque alium quandam poetam delegat; qua in re non imperatorem ipsum adloquitur sed poeta Lynceo quasi tabellario utitur. Putasne Augustum librum tali modo sibi dedicatum benigne accepisse? Credat Iudeus Apella! At me si audire vis, nec benigne nec dure aut aspere Augustus a Propertio elegiarum librum dedicatum accepit quia Propertius Augusto ex libris suis — quantum quidem ex argumentis, quae collegi, concludi potest — dedicavit nullum.

Stat igitur etiam nunc meum iudicium, quod de altero Lachmanni arguento ex carmine II. 10 deprompto iam supra feci et postquam Birtii quoque argumentationem refelli, carmen illud in initio novi cuiusdam libri Propertiani Augusto dedicati locum unquam obtinuisse denuo nego.*)

Henricus Fleischmann.

*) Altera harum «quaestionum» pars, in quibus edendis Horatianum illud praeceptum «nonum prematur in annum» seculus sum, simili occasione oblata publici iuris fiet. Qua in parte et de eorum inventis disputabitur, qui novum quandam et singularem ordinem carminum Propertii digerendorum excogitarunt, et de tertio Lachmanni arguento.

Schulnachrichten.

I. Lehrpersonal.

A. Veränderungen und Beurlaubungen.

Im Stande des Lehrkörpers traten im Laufe des Schuljahres mehrfache Veränderungen ein. Zuerst wurde an Stelle des zum wirklichen Lehrer an dem k. k. Staatsgymnasium in Nikolsburg ernannten Herrn Anton J u r o s z e k zufolge h. Erl. d. k. k. schles. Landesschulrathes vom 26. Sept. 1894, Z. 2229 Herr Martin S p i e g e l zum suppl. Lehrer an der Anstalt bestellt. Mit a. h. Entschließung vom 18. Februar 1895 wurde der Director der Anstalt Dr. Gustav W a n i e k zum Director des k. k. Staatsgymnasiums im II. Gemeindebezirk in Wien ernannt und mit Erl. des h. k. k. schles. Landesschulrathes vom 27. Februar 1895, Z. 516 der Prof. Karl Kolbenheyer mit der provisorischen Leitung betraut, ferner mit Erl. derselben hohen Behörde vom 23. März 1895, Z. 748 der Lehramtscandidat Herr Hermann Lochs zum suppl. Lehrer an der Anstalt bestellt.

Den Herren Professoren Dr. Eduard B r a n d und Josef K a n a m ü l l e r wurde die vierte Quinqennalzulage zuerkannt, und zwar jenen mit Erl. des h. k. k. schles. Landesschulrathes vom 1. Aug. 1894, Z. 1618, diesem mit Erl. vom 18. Decbr. 1894 Z. 3019.

Der suppliernde Lehrer Herr Martin S p i e g e l war vom 3. — 6. März 1895 zur Ablegung der Ergänzungsprüfung beurlaubt.

B. Personalstand des Lehrkörpers und Fächervertheilung 1894/95.

a) Für die obligaten Fächer:

1. Dr. G u s t a v W a n i e k, k. k. Gymnasialdirector und Mitglied des k. k. schles. Landesschulrathes bis Ende Februar 1895; Geschichte in Cl. V u. VIII und philosophische Propädeutik in Cl. VIII. — 8 St
2. K a r l K o l b e n h e y e r, k. k. Professor (VIII. Rangsclasse) und Director-Stellvertreter, Besitzer des goldenen Verdienst-

- kreuzes mit der Krone, Mitglied der physiographischen Commission der k. k. Akademie der Wissenschaften in Krakau; im I. Sem Ordinarius der IIIa Classe; Latein und Griechisch in Cl. IIIa, Deutsch in Cl. IIIa und IIIb — 17 St ; vom 1. März an Gesch. u Geogr. in Cl. IIa und Deutsch in Cl. IIIb — 7 St.
3. Dr. Eduard Brand, k. k. Professor (VIII Rangsclasse), Ordinarius der IIIb Classe; Latein in Cl. IIIb und V, Griechisch in Cl. IIIb Vom 1. März an philosophische Propädeutik in Cl. VIII. — 19 St.
 4. Josef Kanamüller, k. k. Professor (VIII. Rangsclasse) und Custos des natur-historischen Cabinets; Ordinarius der V Cl.; Naturgeschichte in Cl. Ia, IIa, IIb, V, VI, Mathematik in Cl. IIa, V, VI. — 20 St.
 5. Josef Biolek, k. k. Professor (VIII. Rangsclasse) und Consistorialrath, für katholischen Religionsunterricht in allen Clas- sen. — 10 St.
 6. Oswald Kaiser, k. k. Professor (VIII. Rangsclasse) und Custos des physikalischen Cabinets, Ordinarius der VIII. Cl.; Mathematik in Cl. VII, VIII, Physik in Cl. IV, VII, VIII, Naturgeschichte in Cl. IIIa, IIIb. — 18 St.
 7. Benedict Pichler, k. k. Professor (VIII. Rangsclasse), Ordinarius der IIa Classe; Latein in Cl. IIa, Deutsch in Cl. IIa, VI und VII. — 18 St.
 8. Franz Poppler, k. k. Professor (VIII Rangsclasse), Ordinarius der IV. Cl.; Latein und Griechisch in Cl. IV, Griechisch in Cl. VIII. — 15 St.
 9. Alexander Knauer, k. k. Professor, Ordinarius der VII. Classe; Latein und Griechisch in Cl. VII, Griechisch in Cl. V, philosophische Propädeutik in Cl. VII — 17 St.
 10. Johann Appel, k. k. Professor und Custos des geogr. Cabinets; Ordinarius der VI. Cl., im I. Sem. Deutsch in Cl. V und VIII, Geschichte in Cl. IIIa, IIIb, IV, VI — 20 St.; vom 1. März an Deutsch in Cl. VIII, Geschichte in Cl. IIIa, IIIb, IV, VI, VII. — 20 St.
 11. Josef Wolf, k. k. Professor und Custos der Schülerbibliothek; Ordinarius der Ib Classe, Latein und Deutsch in Cl. Ib, Latein in Cl. VIII. — 17 St.
 12. Johann Gollob, k. k. Professor und Custos der Lehrerbibliothek; im I. Sem. Deutsch in Cl. IV, Geographie in Cl. Ia, Ib, Geschichte in IIa, IIb, VIII — 20 St.; vom 1. März an Deutsch in Cl. V, Geographie in Cl. Ia, Ib, Geschichte in Cl. IIb, V, VIII. — 19 St.
 13. Theodor Täuber, k. k. Professor (im Status der k. k. Realschule); für evangelischen Religionsunterricht in allen Classen. — 10 St.
